DE PRIMIGENIA
NAKODTII NOBILIS SESSIONIS ET FRANCHIGIÆ
SUCCESSIONE
JURIS RESPONSUM
ILLUSTRISSIMORUM DOMINORUM

NICOLAI DE SALVETTIS

FRANCISCI DE ROSSI

ET

JOANNIS BARGIGLI=SARCHI

PUPILLORUM MAGISTRATUS FLORENTIÆ

AUDITORUM

PRO

ILLUSTRISSIMO DOMINO MARCHIONE

NICOLAO GUADAGNI

CONTRA

EXCELLENTISSIMUM DOMINUM COMITEM

JOSEPHUM DESFOURS

ET ADIEMVILLE.

FIRENZE
BIBLIOTECA NAZIONALE
1872

FLORENTIAE MDCCLXXXVI.

Ex Typographia olim Albizziniana ſub Signo Solis.

Præſidibus adprobantibus.

Digitized by Google

IUris reſponſum prolaturi, an ad *Nakodtii Nobilis Seſſionis & Franchigiæ* Primogenituræ vinculo ſubiectæ ſucceſſionem Marchio Nicolaus Guadagni excluſo Comite Ioſepho Desfours admittendus ſit, primum omnium Legem, quam in eius teſtamentariis tabulis diei VI. Iulii MDCLVI. Princeps Octavius Piccolomineus poſteris indixit ſuis, expendamus oportet.

Octavius Piccolomineus de univerſa hereditate diſponens Primogenituram inſtituit. Et in primis Comitum Æneæ Sylvii, & Franciſci Piccolomineorum maſculos natu maiores unum poſt alterum vocavit; maiores natu deinceps ex linea maſculorum Ioannis Filii Alphonſi Piccolominei Comitis de Celano unum pariter poſt alterum ſubſtituit; Fœminam denique, aut Fœminas proximiores magiſque per lineam legitimam naturalem paternam coniunctas honoravit = E finiti tutti i Maſchi legittimi, e naturali voglio, che l' Eredità paſſi nella Femmina o Femmine più proſſime, e più congiunte di ſangue per linea legittima, naturale Paterna. =

Nemo maſculorum Comitum Æneæ Sylvii, & Franciſci, nec non Ioannis Filii Alphonſi Comitis de Celano ſuperſtes in præſens eſt, agiturque ideo de admittendis Fœminis a Principe Octavio in poſtrema Teſtamenti parte vocatis.

Et ſane, ut id, de quo quæritur, magis magiſque pateat, inſpiciendum eſt, an e vivis ſublato Ioſepho Barile ex Comitibus de Celano ultimo Maſculo Primogenituræ bona conferenda potius ſint Comiti Ioſepho Desfours filio Lau-

Digitized by Google

domillæ Piccolomineæ Teſtatoris abneptis , ſive Marchioni Nicolao Guadagni , qui ab Octavia Benigna Guadagni Piccolominea laudati Teſtatoris Pronepte deſcendit.

Præhabito igitur perilluſtris quæſtionis articulo, in ea ſumus ſententia Nakodtii Primogenituræ ſucceſſorem eſse unicum , excluſo Ioſepho Desfours , Marchionem Nicolaum Guadagni Maſculum Deſcendentem ab Octavia Benigna Piccolominea , quæ ſi vitam ageret altera Fœmina Laudomilla, ex qua Ioſephus Desfours originem ducit, Teſtatori Octavio proximior eſſet .

Noſtrum modo eſt, annuente ſummo Felicis Etruriæ Moderatore D. N., rationum momenta proferre, quæ iam lati Iudicii veritatem egregie confirmant.

Ut luculenter demonſtretur Marchionem Nicolaum Guadagni optimam cauſam agere, quærendum præcipue eſt, an vocatis poſt Maſculos Fœminis, ad Fœminas tantum, vel ad earum natos, & poſteros etiam protrahatur ſubſtitutio; Et hic exploratum habemus ſubſtituta Fœmina in tempus remotiſſimum, ipſam non ſolum Fœminam , ſed etiam ex Fœmina deſcendentes maſculos ad ſucceſſionem admitti debere; hæc autem iuris regula a *Peregrino conſ.* 39. omnium primo in medium prolata a recta ratione comprobatur, & idipſum in celebrioribus noſtræ præſertim Italiæ Foris & Tribunalibus omni prorſus dubio expers eſt .

Præterea non in Italia ſolum , verum etiam apud ipſas Germanici Imperii Curias, & nominatim penes Supremum Pragenſe Conſilium illam iuris *Theoricam* invaluiſſe ex facto deducitur .

Comes enim Desfours, ut Montis=Leonis Duciſſæ petitioni obſtaret, demonſtravit, & Pragenſis Conſilii plenis ſuffragiis una, & altera conformibus ſententiis decretum eſt , in vocatione Fœminarum poſt maſculos ad ulteriores pariter maſculos originem ex Fœminis ducentes extendi debere defuncti voluntatem. Qua de re probato titulo, quo Comes ipſe Desfours Pragenſis Conſilii ſententiarum vi Nakodtii nobilem ſeſſionem & franchigiam obtinuerit ,

nefas

Digitized by Google

neſas in præſentiarum eſſet contra celebrem diſpoſitionem *Textus in Leg. Si Servus plurium ff. de legat.* 1. eidem titulo obſiſtere. *Bruneman. ad dictam Leg. Si Servus plurium ff. de Legat.*, *&* *Fideicomm.* 1. *num.* 1. *&* *ſeqq.*, *&* *ad Leg.* 2. *Cod. de condit. ob turpem cauſſ. num.* 12., *&* *ad Leg.* 4. *num.* 2. *&* 3. *Cod. de revocand. Donat.*, *Donell. lib.* 8. *cap.* 29., *&* *ibi Hillig. lit. H.*, *Modeſt. Piſtor. quæſt.* 140. *num.* 94., *Berlichius deciſ.* 12. *per tot.*

Statuta igitur poſt Fœminas maſculorum ex iiſdem deſcendentium ſucceſſione, supereſt videndum qualis præcipue Fœmina, & quinam ex Fœmina deſcendentes maſculi præferendi in ipſa ſucceſſione ſint, præ oculis habitis teſtamentariis Tabulis Octavii Piccolominei, qui ob maſculorum defectum Fœminam aut Fœminas proximiores, & uti ait = più congiunte di ſangue per linea legittima naturale „ Paterna = vocavit; nam dubitari poteſt, an hiſce poſitis Teſtatoris verbis Iura faveant Fœminis potius Teſtatori, quam ultimo heredi gravato proximioribus.

Iuriſconſulti hac de re differentes ſibi invicem adverſantur; alii pro una, alii pro altera parte contendunt. Eorum Sententia, qui in ſucceſſionibus ad proximitatem heredis gravati rationem habendam arbitrantur, noſtro quidem veritatis iudicio vanis nititur ſubtilitatibus in iure omnino ſpernendis, ideoque alteram ſententiam uti veriorem, & literali Legis contextui magis conſonam amplecti non dubitavimus.

Clarus primum ſeſe præfert *Textus in Leg. Omnia* 32. §. *In Fideicommiſſo ff. de Legat.* 2., ex quo habetur = In Fideicom-
„ miſſo quod Familiæ relinquitur, hi ad petitionem eius ad-
„ mitti poſſunt, qui nominati ſunt, aut poſt omnes eos ex-
„ tinctos *qui ex nomine defuncti fuerint eo tempore*, *quo Teſtator*
„ *moreretur*, *&* *qui ex primo gradu procreati ſunt*, *niſi ſpeciali-*
„ *ter defunctus voluntatem ſuam ad ulteriores extenderit.* =

Quum igitur in Fideicommiſſo admittantur primo a Teſtatore nominati, ſecundo illi, qui fuerint ex Familia Defuncti, & ii non omnes, ſed ſolum qui primo gradu pro-

 creati

Digitized by Google

creati ſunt, ex huiuſce *Textus* litera conſequitur, Teſtatoris proximitatem tantum in Fideicommiſsaria ſucceſſione ſpectandam. Sicuti vero contrariæ opinionis aſſeclæ huic ſatis perſpicuæ Legi ineptis tantum verborum ſignificationis immutationibus ſe ſe opponunt, optimum ideo ducimus eos nulla reſponſione dignari.

Neque rationibus deſtituta laudatæ Legis diſpoſitio deprehenditur.

Etenim conſentaneum cenſendum eſt Teſtatoris menti, & affectioni maiori ipſum prædilectione proſequi eos voluiſſe qui ſibimetipſi, quam heredi gravato proximiores, qui ſibi remotiores. Addendum pariter eſt in Fideicommiſſis agi ſolummodo de hereditate, & primi inſtitutoris bonis, adeoque abſonum eſſe proximiorem illius, de cuius hereditate quæritur, excludere. Quum tandem ordo ſuccedendi in Fideicommiſſis idem ferme ſit, ac ordo ſuccedendi ab inteſtato, in quo procul dubio proximitas illius, de cuius hereditate boniſque agitur conſideranda eſt, ſequitur non heredis gravati, ſed Fideicommiſſi Inſtitutoris proximitatem animadvertendam eſſe; Et ita neglectis contrariæ opinionis futilibus argumentis ſentiunt. *Alciatus in dicta L. Omnia* §. *fin. num.* 7. *ff. de Legat.* 2., *&* *conſ.* 32. *num.* 7. 8. *lib.* 9. *Covarr. tom.* 2. *practicar. quæſt. cap.* 38. *num.* 3., *Craſſus* §. *Fideicommiſſum*, *quæſt.* 12. *num.* 1. *Ioann. Dilecti de arte teſtandi tit.* 5. *cautel.* 21. *num.* 3. *Forſter. de ſucceſs. lib.* 3. *cap.* 30. *num.* 20.

Sed his quidem omnibus prætermiſſis momentis, quæ niſi de claris contrariæ Teſtatoris voluntatis indiciis conſtet, infringi minime poſſunt, magis magiſque Nicolai Guadagni bonum ius patet, dummodo animadvertamus, eos etiam qui aſſerunt in maioratibus & primogenituris præferendam eſſe proximitatem heredis gravati, ſummum fateri diſcrimen inter maioratum, & primogenituram, quæ tranſire de uno in alterum eiuſdem lineæ vel ſtipitis debeat, & inter maioratum, & primogenituram, quæ a deſcendentibus de una linea vel perſona ad collaterales, aut ad alteram lineam, vel alterum perſonarum genus gradum faciat. Nam

Nam ſi deſcendentes ab eo, qui admiſſus fuerit, minime ſuperſint, ita ut Fideicommiſſum poſt deſcendentes, vel poſt unam lineam vel perſonam transferatur ad collaterales, ad alteram lineam, vel diverſum perſonarum genus, communis opinio eſt omnium Iuriſconſultorum firmata conſenſu, ad Teſtatoris potius, quam heredis gravati proximitatem rationem habendam eſſe.

Huiuſce vero rei veritatem probarunt *Bartholomaus Soccinus in Leg. Si Cognatis ff. de rebus dubiis*, *Landerch. Imol. conſ.* 45. *num.* 12. *&* 13., *Pancirol. conſ.* 170. *per tot.*, *Peregrin. de Fideicomm. artic.* 20. *num.* 5. 6. 7., *Fuſar. de ſubſtit. quaeſt.* 484. *num.* 16. *&* 21., *Caſtill. controv. Iur. cap.* 269. *num.* 14. *Torr. de ſucceſſ.*, *&* *Majorat. Italia cap.* 12. §. 2. *num.* 15.
„ Quando vero agitur de tranſitu ad novam omnino lineam
„ & deſcendentiam poſt primam extinctam, & ad perſonas
„ in alia & diverſa Familia contentas, & eſt ſermo de pri-
„ mo ingreſſu ad ſucceſſionem, tunc eſt amplectenda contra-
„ ria ſententia, quod attendatur proximitas gravantis, & non
„ gravati = *Ioſeph de Roſa conſult. Iuris. conſult.* 2. *num.* 15. =
„ Dum de ordine ſuccedendi diſputatur, tunc demum habeat
„ locum, & præferatur proximitas gravati, quando ſumus
„ inter deſcendentes ab eo, in quo cœpit habere locum ſucceſ-
„ ſio, ſive in maioratibus inter illos eiuſdem lineæ, vel ſti-
„ pitis qui ſucceſſit. At ſi non ſuperſint deſcendentes ab eo
„ qui admiſſus fuit, ita ut fiat tranſitus de deſcendentibus ad
„ collaterales, ſive de una linea ad aliam, de uno genere
„ perſonarum ad aliud, tunc non proximitas gravati, ſed
„ Teſtatoris attenditur. =

Et quamvis inter doctiores Iuris Interpretes *Ioannes Voetius* contrariam ſententiam inierit, inficiari tamen non poſſumus ipſum etiam ſtatuere, Teſtatoris proximiores præferendos eſſe, dummodo poſt lineam heredis gravati ad collaterales Fideicommiſſum protrahatur; ita enim loquitur ad *Tit.* 1. *lib.* 36. *Pandect. ad Senat. Conſult. Trebell.* §. 32. *fere in fin.* = verum deficiente gravati ultimique poſſeſſoris linea
„ deſcendente, ſic ut ad collaterales Fideicommiſſum devol-

 „ vi

Digitized by Google

„ vi debeat , proximiores Teſtatoris gravantis præferendos
„ eſse collateralibus gravati proximis .

Duo ſunt iuris certa non minus, quam famigerata principia, quæ præter Iuriſconſultorum auctoritatem prælatam diſtinctionem confirmant .

Statuitur primo, quæſtione propoſita an Teſtatoris verba heredem potius, quam Teſtatorem ipſum inſpiciant, ad Teſtatorem in dubio referenda eſse. *Gloſſ. in Leg. Ex facto verb. ſua. ff. ad Trebell.*, *Caſtill. Controv. lib. 5. cap. 93. §. 13. num. 9.*, *Peregrin. de Fideicomm. artic. 32. num. 83.*, *Molin. de Primogeniis Hiſpan. lib. 3. cap. 9. num. 11.*

Sancitum ſecundo eſt, in ambiguis Teſtatoris verbis, Teſtatoris eiuſdem voluntatem inquiri debere *Leg. In conditionib. ff. de condit., & demonſtrat.*, *Leg. Ex facto ff. de hered. Inſtit.*

Cum autem voluntas aliquando in obſcuro ſit, tunc Leges noſtræ talem eſſe defuncti voluntatem ſtatuunt, qualem bonum virum habere decet, idque voluiſſe intelligunt, quod communi prudentia duce alii homines recta ratione utentes hac in re voluiſſe conſueverint *Leg. Quoniam deſideria Cod. de natur. liber.*. Et ſicuti ex præordinata caritate eos præſertim tenetur Teſtator diligere, qui ſibi ſunt conſanguinitate proximiores, præſumitur ideo ipſum ſemper ſibi neceſſitate ſanguinis devinctos alteris anteponere voluiſſe *L. Cum acutiſſimi Cod. de Fideicom.*, *L. Cum unum ff. de condit. & demonſtrat.*, & inter conſanguineos illos qui cæteris proximiores *dicta Leg. Cum a Matre Cod. de natur. liber.*, *Caſtill. controverſ. Iur. lib. 2. cap. 4. num. 15. & ſeqq.*, *Molin. de Primogeniis Hiſpan. lib. 3. cap. 5.*

Hiſce igitur prænotatis, quoad rem noſtram pertinet, in qua Princeps Octavius Piccolomineus poſt Maſculos ex lineis honoratis procedentes, Fœminas ſubſtituit proximiores = e
= più congiunte di ſangue per linea legittima naturale Pa-
= terna = cum in dubium revocari nullatenus poſſit Nakodtii Primogenituram a primis Maſculorum lineis ad Fœminas, & ad Fœminarum lineas, ideoque ad genus a primis inſtitutis diverſum devolvendam, compertum eſt inter

lineas

Digitized by Google

lineas a Fœminis promanantes illam tantum prædilectam haberi debere, quam non heredi gravato, ſed Teſtatori proximiorem deprehendimus.

Accedit inſuper non agi in præſens de prælatione inter plures vocatos, ſed de ipſius vocationis vi, & quæri tantum quinam vocati, quive excluſi dicantur; ideoque ad rem faciunt, quæ ſuperius tradidimus, ſcilicet dum de verborum ſignificatione, & ipſius vocationis natura quæſtio ſit, verba ad Teſtatoris perſonam referenda eſſe, & id voluiſſe Teſtatorem aſſerendum, quod plerumque prudentes homines velle ſolent, ſuos nempe conſanguineos ad ſucceſſionem eligere, & proximiores potius ſuos, uti magis dilectos, quam proximiores aliorum; Idcirco cum primo locus ſit in ſubſtitutione vocatis inutile eſt requirere, quæ proximitas præferri debeat, Teſtatoris ne, an potius heredis, ſed Teſtatorem ipſum proximiores directe vocaſſe ſtatuendum eſt. *Bartol. in L. Peto* §. *Fratre num.* 1. *ff. de Legat.* 2., *& in Leg. Si Cognatis num.* 2. *ff. de reb. dub.*, *Caſtill. Controverſ. lib.* 5. *cap.* 93. §. 13. *num.* 10., *Peregrin. de Fideicomm. artic.* 22. *num.* 20., *& artic.* 34. *num.* 83.

Sed quid plura petimus? Noſtræ opinionis fundamentum, quod hactenus ex purioribus iuris fontibus deprompſimus tum maxime roboratur expreſſa fere Principis Octavii Piccolominei voluntate, tum Supremi Pragenſis Conſilii Sententiis.

Et quoad primum adtinet, quærentibus nobis quid Princeps Octavius Piccolomineus cogitaverit ſubſtituens = La Femmina, o Femmine più proſſime, e più congiunte di ſangue per linea legittima naturale Paterna = in comperto eſt de illis tantum Fœminis ſermonem inſtituiſſe, quæ a prioribus ad Primogenituræ ſucceſſionem vocatis ſibimetipſi propinquis deſcendunt; Id namque ſuadet ipſa vox, *Linea*, quæ proprie accepta intelligenda eſt iuxta regulam illa tantum linea, quam ſibi Teſtator conſtituit, *Soccin. in Leg. Gallus* §. *Nunc de Lege num.* 4. *ff. de Lib. & Poſt.*, *Menoch. conſ.* 233. *num.* 18., *Valenz. conſ.* 97. *num.* 6., *Manſ. Conſult. & res indic. conſultat.* 96. *num.* 57. *tom.* 1. His

Digitized by Google

His quoque addi poteſt *lineam Paternam*, quæ a Iuriſperitis modo pro linea, uti aiunt *effectiva*, modo pro *contentiva* explicatur *Soccin. in dicta Leg. Gallus dict.* §. *Nunc de Leg. num.* 2. *ff. de Lib. & Poſt.*, *Dec. conſ.* 179. *num.* 1., *Berous conſ.* 77. *num.* 1., *Mieres de Maiorat. part.* 2. *quaſt.* 7. *num.* 47. & 48. in noſtri caſus diſputatione lineam contentivam proximam ſignificari nullatenus ambigendum eſt.

Poſito enim, Teſtatorem pro *linea Paterna* lineam contentivam proximam minime intellexiſſe, exinde fieret, ut deficiente aliquo ex maſculis de Comitibus de Celano ultimo Primogenituræ herede, Fœminæ ab illo procedentes per remotiſſimam, immo ignotam cognationem Teſtatori coniunctæ Fœminis agnatis Lineæ Teſtatoris contentivæ proximæ anteponerentur, quod eſt omnino vitandum abſurdum.

Deinde ad ultimam Principis Octavii voluntatem enucleandam, rationem habendam eſſe cenſemus ad ea iura, quibus ipſum Supremum Pragenſe Conſilium in huiuſmodi ſpecialiter caſu uſus fuit. Et ſane accepimus laudatum Pragenſe Conſilium Nakodtii *Nobilis Seſſionis & Franchigiæ* ſucceſſionem, excluſa Montisleonis Duciſſa, Comiti Ioſepho Desfours tunc iure merito detuliſſe, eo potiſſimum momento duplici re iudicata firmato, in Fideicommiſſi ſucceſſione Teſtatoris potius, quam ultimi heredis gravati proximitatem anteferendam eſse. Et quidem Ioſephus Desfours, niſi Supremum Pragenſe Conſilium in eam Sententiam abiiſſet, nullo umquam tempore Nakodtii Primogenituram fuiſset adeptus. Cum igitur optima legum Interpres ſit conſuetudo, & rebus iudicatis ſtatus Reipublicæ maxime contineatur, *Paul. Iuriſconſult. in lib. primo quaſt. relat. in Leg. Si de interpretatione* 57. *ff. de Leg.*, *& Sen. Conſult.*, *& longa conſuet.*, *Deſid. Herland. de re iudic. lib.* 1. *cap.* 1. §. 5. *in Theſaur. iur. Heverard. Otton. tom.* 1. *fol.* 1079., nil dubium, quin res illæ iudicatæ, quarum vi Nakodtianam Primogenituram Comes Ioſephus Desfours ſibi vindicavit, Marchionis Nicolai Guadagni iura modo tueantur.

Hoc

Hoc fortaſſe loco votum abſolutum eſſet. Nil enim ad Marchionis Nicolai Guadagni petitionem propugnandam Principis Octavii Piccolominei Teſtamento validius eſſe poteſt; Quum autem quoddam in medium proferatur Imperatoris Leopoldi Diploma diei VI. Maii MDCLXXXIX., ex quo colligitur Cæſarem aut Teſtamento ipſi derogaſſe, aut ſaltem declaraſſe de Teſtatoris voluntate; optimum ideo putavimus quædam innuere, quæ certius Guadagnium unicum Nakodtii Primogenituræ ſucceſſorem conſtituunt in ea etiam, quam firmiſſime inficiamur hypotheſi, heredis gravati proximitatem in Fideicommiſſi ſucceſſione animadvertendam eſſe.

Munificentiſſimus Imperator Leopoldus eo ipſo Diplomate, quo Laurentium Piccolomineum in Sacri Romani Imperii Principatus honore confirmavit, ſancivit quoque omnia Principatus iura = *Cum omnibus & ſingulis annexis ſtatibus*, „ *& honoribus* = & alio loco = *cum Maioratibus*, *& Primogenituræ iuribus* = poſt Laurentii deſcendentes Maſculos natu maiores, omnibus aliis poſthabitis, deferenda eſſe in Marchioniſſam Octaviam Benignam Guadagni, & in eius Filios, & Deſcendentes Maſculos maiores pariter natu = ante alios ſororem ſuam Marchioniſſam Guadagni, ac Filios, & „ Deſcendentes Maſculos natu maiores in infinitum. =

Quum autem inter Principis Laurentii *Status* numeranda ſit Nakodtii *Nobilis Seſſio & Franchigia*, quæ *Allodii* naturam induit, nil dubium, quin Imperatoris Leopoldi Diplomatis vi poſt obitum Iunioris Principis Octavii Filii Laurentii Piccolominei Marchio Nicolaus Guadagni uti deſcendens ab Octavia Benigna Piccolominea Nakodtii ſucceſſionem præ cæteris omnibus, & Comitibus Piccolomineis de Celano omnino excluſis, petere jure merito potuiſſet.

De *Allodii* ſpecie, quoad Nakodtii *nobilem ſeſſionem*, inutile eſt quæſtionem inſtituere. Hoc enim *Allodii* titulo illam Ferdinandus II. Cæſar Principi Octavio Piccolomineo conceſſerat. Imperator autem Ferdinandus III. ius de ipſo Allodio diſponendi ſuperaddidit. Hodie pariter Ioſephus II.

Au-

Auguſtus feliciter Imperans in ſuo quodam diei v. Februarii MDCCLXXXIV. Reſcripto precibus eidem Cæſari a Nicolao Guadagni porrectis emiſso idipſum declaravit.

Itaque ex huiuſce *Allodii* conceſſione Principi Octavio Piccolomineo ob præclara eius merita a Ferdinando II. conlata, indeque a Ferdinando III. firmata diſponendi facultate conſequitur, Leopoldum eorumdem Imperatorum ſucceſſorem & ſupereminentis Dominii vi, a quo ex ſocietatis fœdere ſubditi diſsentire minime poſsunt, & ob publicam utilitatem Ius etiam privato cuique quæſitum defunctorum Iudicii immutatione auferre legitime potuiſse, *Grot. de Iur. Bell. & Pac. lib.* 1. *cap.* 1. §. 6., *Gaill. lib.* 2. *obſerv.* 56., *Mav. diſcuſſ. levam. Inop. debit. cap.* 2. §. 29. *& ſeqq.*, *Stryck. volum.* 7. *diſput.* 5. *de Iur. Principis circa Mortuorum Iudicium cap.* 2. §. 1.

Neque inficiandum eſt Leopoldum Auguſtum Principis Octavii Teſtamento toto iure derogaſse; Nam, ut ipſemet ait in Diplomate diei XVI. Maii MDCLXXXIX. beneficia, quæ in Laurentium Piccolomineum, eiuſque Sororem Octaviam Benignam contulit ex certa ſcientia, & cognita re, probavit; Principi vero aliquid ex plenitudine poteſtatis, & ex certa ſcientia iubenti contradicere nefas eſt, *Leg. Sacrilegium cod. de Sacrilegiis*, *Gaill. obſervat.* 55. *num.* 7. *in fin. lib.* 2., *Nicolaus Betſius de Statut. pact. & conſuetudinibus Famil. illuſtr. & nobil. ad uſum Germaniæ cap.* 9. §. 7.

Quum demum præmium virtuti perſolvere publicum bonum reſpiciat, perſpicua eſt ratio, cur Imperator Leopoldus Principis Octavii Piccolominei ultimam voluntatem immutaverit; ut enim Principis Laurentii præclara geſta remuneraretur, Octaviam Benignam ſororem etiam contra ipſius inſtitutoris Primogenituræ mentem invitis agnatis potuiſset admittere. *De Marin. de Feud. Fœmin. num.* 18. *in fin. fol.* 205., *Samuel Stryk. volum.* 6. *diſput.* 8. *cap.* 1. *num.* 42. *in fin.* „ quanquam hoc non diffitendum, Principem propter „ merita Parentum Filiam ad Feudum habilitare poſse etiam „ invitis agnatis. „

Quo-

Quomodocumque vero ſeſe res habeat, an videlicet Imperatoris Leopoldi Diploma Principis Octavii Piccolominei teſtamento revera derogaverit, nec ne, certum tamen eſt ex eodem Diplomate ipſius Octavii voluntatem declarari. Et ſane Princeps Laurentius unus ex primis Fideicommiſſi Inſtitutoris heredibus, ſolam Octaviam Benignam Guadagni, eiuſque deſcendentes maſculos annuente Leopoldo Auguſto inter vocatos renunciavit. Nil vero in iure noſtro exploratius eſt, heredum Teſtatori proximiorum obſervantiam clariora ultimæ defunctorum voluntatis indicia ſuppeditare *Leg. unic. Cod. de Confeſſ.*, *Leg. fin. Cod. de exec. rei judic. Leg. Generaliter. Cod. de reb. creditis*.

His omnibus præ oculis habitis, & quidem a rectæ rationis legumque regulis comprobatis manifeſte patet, Nicolaum Guadagni tum ex Principis Octavii Teſtamento, tum Leopoldi Imperatoris Diplomate unicum legitimumque habendum eſſe Nakodrii *Nobilis Seſſionis*, & Primogenituræ, poſt habito Comite Ioſepho Desfours, ſucceſsorem.

Propterea in tanta rationum luce inane eſt quæſtionem inferre, an a Primogenituræ ſucceſſione Guadagnius arcendus ſit ob eam omnino ſpernendam lapſus temporis exceptionem, quo Bohemiæ Regni ſanctiones hereditatem petendam eſse ſtatuerunt.

Huiuſce generis exceptiones a ſupremis Italiæ noſtræ Tribunalibus uti futiles, & ſæpe ſæpius a Iuriſperitis ad quæſtionis fundamentum effugiendum in medium prolatæ, neglectæ fere & antiquatæ exularunt; quæ maxime in hoc, de quo agitur caſu, habita facti Legumque ratione uti nullius momenti reprobari deberent.

Certum eſt Guadagnium ſex intra menſes a Bohemiæ Legibus ad petendam hereditatem ſtatutos Nakodrii *Nobilem Seſſionem* expoſtulaſſe. Hoc enim tempore ipſemet preces Ioſepho II. Auguſto obtulit humillimas, in quibus exiſtimans *Nakodrium Inveſtituræ* conſuetudini obnoxium eſſe, eam obtinendi cauſa Cæſaream Maieſtatem deprecatus eſt.

Quæ cum ita ſint nullus ſupereſt dubitandi locus, an Marchio

Digitized by Google

chio Nicolaus proprium ius amiſerit ex eo, quod Summi Imperantis potius, quam eiuſdem Imperantis Magiſtratui poſtulationem exhibuerit.

Sed quamvis poſt temporis lapſum Marchio Nicolaus Tribunal adierit, explorati iuris eſt, eum contra incœpiſſe fatalium curſum a die certæ & ſingularis ſcientiæ obitus ultimi heredis, *Leg. Cum in antiquioribus* 19. *Cod. de Iur. delib.*, *L. Annus ff. de Calumniat. Text. & Gloſſ. in Cap. Sancimus verb. Infantia in fin. quo tempore Miles inveſtitur. peter. poſſ.*, *& in cap. Imperialem verb. Negligentia de prohib. alien. Feud. per Frideric.*, *Zaſius de Feud. cap.* 7. *num.* 2. *Daoyz. Sum. Iur. Civil. lit. T. num.* 7. = Tempus limitatum datum ad agen-
„ dum currit a tempore ſcientiæ, a quo potuit agere = *Gaill. Obſervat. pract. obſervat.* 48. *num.* 8., Tempus enim non currit contra ignorantes, & agere non valentes *Leg.* 1. §. *ultim. in fin. Cod. de Annal. except. Voet ad Pandect. lib.* 44. *tit.* 3. §. 1.

Huiuſce autem ſcientiæ defectum Guadagnius iuramento legitime comprobavit, *Leg. Omnes* §. *A Barbaris ff. de re Milit. Leg. Quidam 6.* §. *fin. cum Leg. ſeq. ff. de admin. Tutor. Daoyz. in ſumma Iur. Civil. verbo Ignorantia num.* 2. = Igno-
„ rantia probatur eo ipſo, quod non probatur contrarium,
„ vel iuramento doceatur = *Gaill. Practic. Obſerv. lib.* 2. *obſervat.* 48. *num.* 23.

Ut tandem adverſus lapſus temporis in integrum Guadagnius reſtitui poſſet quævis excuſabilis ignorantiæ ratio, quæ proponeretur, ſatis eſset, *Matthæus de auction. lib.* 1. *cap.* 17. *num.* 13., *&* 14., *Mævius ad ius Lubec. lib.* 3. *tit.* 2. *artic.* 10. *num.* 14., *Voet ad Pandect. lib.* 4. *tit.* 6. *num.* 11. = Si denique intra tempora Statutis definita, vel alio-
„ quin intra ordinarium reſtitutionibus petendis præfixum
„ tempus iuſtam allegaverint ignorantiæ, aut alterius impe-
„ dimenti cauſam, quod dictis propoſitis non paruerint. =

Verum quid in hac poſtrema lapſus temporis leviſſima diſceptatione diutius immoramur? Quæ noſtris iam animadverſionibus digna arbitrati ſumus ea ſolummodo ſunt,

quæ

quæ Nicolai Guadagni bona iura tuentur ; Placuit enim nobis aſſerere ipſum Nicolaum Maſculum ex Octavia Benigna Deſcendentem , poſthabito Ioſepho Desfours, *Nakodtii Nobilis Seſſionis* , & Primogenituræ ſucceſſionem iure meritoque expoſtulaſse ; Id vero tum ex Principis Octavii Supremo Elogio , tum Leopoldi Imperatoris Diplomate pro rei veritate demonſtravimus .

Quæ cum ex una parte Ioſephi Comitis Desfours ad reiciendam actionem plurimum conferant , ita locum pariter ex altera in Montis Leonis Duciſsam , penes potiſſimum Pragenſis Conſilii Patres obtinere debent , quamvis Imperiali permittente Clementia ad Nakodtii Primogenituram expetendam contra Ioſephum Comitem Desfours , & Nicolaum Marchionem Guadagnium ipſi Montis Leonis Duciſsæ novum rurſus edere rationum libellum datum ſit .

Quum enim duobus iam conformibus rebus iudicatis Pragenſe Conſilium Nakodtii ſucceſſionem detulerit Ioſepho Comiti Desfours Maſculo deſcendenti a Laudomilla Piccolominea Teſtatori Octavio Piccolomineo proximiore , eo certius Supremum Tribunal in præſens adverſus Montis Leonis Duciſsam iudicium laturum credendum eſt , dummodo animadvertamus Marchionem Nicolaum Guadagnium originem ducere ex Octavia Benigna Piccolominea prædicto Teſtatori propinquiore illa eadem Laudomilla , quæ quondam Montis Leonis Duciſsam penitus excluſit . Vulgatum vero eſt iuris adagium ; Si vinco evincentem te , eo magis te vinco , *Gloſs. inter eos §. 1. Inſtit. ad Senat. conſ. Tertyllian. in addit. Daoyz. in Summ. Jur. Civil. lib. 5. verb. vincens in fin.* = Vincens vincentem te &c. procedit ,, hæc regula , quando ſunt termini pares . =

Hæc autem omnia Pragenſis Conſilii ſuffragiis iterum iterumque comprobata ſarta tecta manebunt , quouſque firmum erit iuris Theorema , in Fideicommiſſo præcipueque in illis Primogenituris , quæ in perſonarum genus a primis inſtitutis diverſum transferuntur , Teſtatoris potius , quam heredis gravati proximitatem anteferendam eſſe ; idque ſane

ne

Digitized by Google

ne aſſerendum præſertim arbitramur quoad Montis = Leonis Duciſſæ perſonam, inſpecta ſemper Principis Octavii Piccolominei expreſſa voluntate.

Certum enim eſt Teſtatorem Octavium poſt Maſculos Comitum Piccolomineorum de Celano ſubſtituiſse „ La Fem- „ mina, o Femmine più proſſime, e più congiunte di ſangue „ per linea legittima naturale Paterna. „ Quum vero *lineam* „ *Paternam* in hac ſpecie facti lineam *contentivam* proximam ſignificare ſuperius demonſtratum ſit, idcirco Montis = Leonis Duciſsa, quæ ſolum a remotiſsima linea Teſtatoris contentiva deſcendit, Nicolaum Guadagnium Neptem Octaviæ Benignæ Piccolomineæ ex linea contentiva proximiore a Teſtatore honorata provenientis, a Nakodtii Primogenituræ ſucceſsione repellere numquam poterit.

Denique vanum eſt denuo hic verba facere de iam relato Imperatoris Leopoldi Diplomate; Etenim quæ hujuſmodi Diplomatis vi Marchionis Guadagni contra Comitem Ioſephum Desfours bona iura defendunt, Montis = Leonis Duciſsæ novo rationum Libello mirum in modum obſiſtunt.

Hoc unum animadvertendum eſt, Cæſareum Imperatoris Leopoldi Diploma ſolam Octaviam Benignam Piccolomineam Guadagni ad Primogenituræ ſucceſsionem ante ipſos Maſculos, & Fœminas agnatas lineæ Comitum Piccolomineorum de Celano præeligere, qua de re rectæ rationi, & tam claræ obſervantiæ ad Principis Octavii Teſtamentum interpretandum elicitæ omnino obverſaretur, Nicolaum Marchionem Guadagnium a Fœmina iam prædilecta deſcendentem excludere, & Montis Leonis Duciſsam expreſse quidem in ipſo Diplomate omnino poſthabitam ad Nakodtii *Nobilis Seſſionis*, & Primogenituræ ſucceſsionem admittere.

Nicolaus de Salvettis.
Franciſcus de Roſſi.
Joannes Bargigli = Sarchi.

} *Pupillorum Magiſtratus Florentiæ Auditores.*

Nos

Digitized by Google